



SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE
TRIBUNAL

PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO



Prot. N. 38691/06 CA

BOSTONIEN.

Suppressionis paroeciae S. Ioannae de Arce
(D.nus J. C. Clermont – Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

1. Cum Rev.mus Superior Provincialis O.M.I. die 14 februarii 2003 notificavisset intentionem reducendi numerum Patrum O.M.I. in civitate v.d. "Lowell", Exc.mus Administrator Bostoniensis promovit examen de ordinatione paroeciarum ibidem recognoscenda. Dein novus Exc.mus Archiepiscopus Bostoniensis die 9 ianuarii 2004 omnibus christifidelibus archidioecesis annuntiavit necessitatem reducendi numerum paroeciarum in tota archidioecesi, inter alia ob mutatam condicionem demographicam, deminutum numerum presbyterorum et pessimam condicionem oeconomicam nonnullarum paroeciarum ipsiusque archidioecesis. Auditio die 24 iunii 2004 consilio presbyterali, Exc.mus Archiepiscopus die sequenti cum Rev.do Parocho paroeciae S. Ioannae de Arce in urbe v.d. "Lowell" communicavit decisionem eandem paroeciam supprimendi et tandem die 23 augusti 2004, cum effectu a die 30 augusti habendo, decrevit suppressionem paroeciae personalis S. Ioannae de Arce pro fidelibus originis gallicae in urbe v.d. "Lowell", statuens curam pastoralem fidelium paroeciae suppressae confidi viciniori paroeciae S. Ritae, ad quam transferrentur libri paroeciales et schola, aliis vero eiusdem bonis et obligationibus ipsi archidioecesi destinatis, atque salva facultate fidelium linguae gallicae adhaerendi alli paroeciae personali pro eiusmodi fidelibus.

Remonstratione die 17 septembbris 2004 reiecta, D.nus J. C. Clermont tamquam membrum paroeciae suppressae recurrit ad Congregationem pro Clericis, quae decreto diei 24 maii 2006 confirmavit suppressionem paroeciae

atque statuit non amplius haberi iugiteriam contentionis circa destinationem bonorum paroeciae suppressae ab Excmo Archiepiscopo in decreto diei 23 augusti 2004 statutam, cum interim omnia illa bona paroeciae S. Ritae tributa fuissent, cuius vero parochus ea deinde, praeterea scholam, instrumento diei 25 februarii 2006 ad normam can. 532 archidioecesi donaverat.

2. Quam adversus Congregationis decisionem sibi die 6 junii 2006 notificatam D.nus Clermont die 22 iunii 2006 recurrit ad H.S.T., quod relate ad bona paroeciae suppressae die 7 octobris 2006 decretivit: "Suspensionem ab Emmo Archiepiscopo Bostoniensi concessam confirmandam esse et facto confirmari".

Postea, extra terminum de quo in art. 123, § 1 Const. Ap. *Pastor bonus*, etiam quaedam alia membra paroeciae suppressae ad H.S.T. provocaverunt.

Re rite discussa inter Cl.mos Patronos et Rev.mum Promotorem Iustitiae,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNALIS



A. De suppressione paroeciae:

3. Praemiso quod:

- Ad normam can. 515, § 2 unius Episcopi dioecesani est paroecias supprimere (cf. CD 32), qui eas ne supprimat, nisi auditio consilio presbyterali. Antequam decretum suppressionis ferat, Episcopus necessarias notitias et probationes exquirat, atque, quantum fieri potest, eos audiat quorum iura laedi possint (cf. can. 50). Quae iura acquisita haberi possunt v.g. ex actu fundationis vel contractus, sed probanda sunt. Decretum suppressionis feratur, denique, saltem summarie expressis motivis (cf. can. 51) Qua in re, "Episcopus dioecesanus... iuxta suam prudentem discretionem procedere potest, exclusa vero arbitriate" (decreta Congressus diei 3 maii 2002, prot. nn. 33219/01 CA; 32220/01 CA; 32238/01 CA). Hac in ratione perpendenda, non solum condicio paroeciae consideranda est, verum etiam totius dioecesis, ut totius dioecesis saluti animarum, meliore quo fieri potest modo, provideatur. Nulum tandem "ius christifidelibus agnoscitur ad determinatam paroeciam, cum illis sufficiat paroecia quaedam, quae eorundem curam pastoralem expleat" (cf. v.g. decreta Congressus dierum 12 octobris 1995. prot. n. 25323/94 CA; 18 ianuarii 1996, prot. n. 25465/94 CA; 12 octobris 1995. prot. n. 25530/95 CA);

- Agnoscendum est migratorum ius servandi patrimonium spirituale, immo ubi id expedit constituantur pro eis paroeciae personales (cf., inter alia, can. 518; art. 6 Instr. *Erga migrantes caritas Christi*). Mutata autem rei condizione, Episcopus dioecesanus, iuxta jurisprudentiam H.S.T., iusta ex causa etiam eiusmodi paroeciam supprimere potest et alio modo migratorum curae pastorali

providere, quia migratorum cura pastoralis non est vinculata cum quadam determinata paroecia personali, quae est una tantum ex pluribus comprobatis rationibus et viis in pastorali cura agenda pro coetibus specialibus fidelium (cf. v.g. decreta Congressus dierum 25 januarii 1991, prot. n. 21896/90 CA; 3 maii 1995, prot. n. 24388/93 CA; 26 januarii 1996, prot. n. 26205/95 CA; 18 iulii 1996, prot. n. 26399/95 CA). Non habetur, ceterum, solum ius migratorum servandi patrimonium spiritale, verum etiam obligatio ad iustam integrationem in nova patria;

4. Attento in **procedendo** in primis relate ad assertum defectum cautionis impartialitatis ex parte consilii presbyteralis quod: a. consilium presbyterale vacante sede cessat et intra annum a capta possessione a novo Episcopo noviter constituendum est (cf. can. 501, § 2), idque in casu diligenter ab Exc.mo novo Archiepiscopo Bostoniensi factum est; b. nullibi in iure requiritur ut intra membra consilii presbyteralis habeatur aliquis parochus paroeciae supprimendae; c. gratis affirmatur et negatur consilium presbyterale in casu nullam deditesse impartialitatis cautionem;

5. Considerato, circa assertum nimis breve temporis spatiuum inter decretum suppressionis paroeciae et eius efficaciam, quod possibilis suppressio paroeciae ipsis paroecianis diu nota erat et decisio suppressionis die 25 junii 2004 cum eius parocho communicata, quodque Cl.mus Patronus non adduxit legem quae esset violata in casu;

6. Perpenso, relate ad assertam contradictionem in suppressionis decreto, quod haec haudquaquam habetur inter factum quod paroeciae S. Ritae committebatur cura spiritualis fidelium paroeciae suppressae et facultatem remanentium singulorum fidelium linguae gallicae adhaerendi (etiam) alii paroeciae pro fidelibus eiusdem sermonis;

7. Concesso relate ad assertam violationem legis in **decernendo** quod non habebatur decrementum fidelium in paroecia, quae erat reapse vitalis et insuper in bona condicione oeconomica;

Perspecto vero ad rem quod:

- Sufficit ut quaedam iusta ratio pro suppressione habeatur;
- Ipse Recurrent, saltem subordinate, accepit unionem extinctivam paroeciarum S. Joannae de Arce et S. Ritae, sed hac in hypothesi censuit servandam fuisse potius paroeciam S. Joannae de Arce tamquam novam paroeciam territorialem;
- Exc.mus Archiepiscopus iam in ipso decreto suppressionis indicavit decisionem latam esse "in light of the wider reconfiguration initiative of the Archdiocese of Boston, which will allow the Archdiocese of Boston to efficiently use its resources to better serve the People of God";



- Recursus autem inepte tantum rationem tenuit de ipsa paroecia suppressa, non autem de necessitate salutis animarum providendi, meliore quo fieri potest modo, pro tota archidioecesi et quidem etiam in futuro;

8. Cum proinde assertae violationes legis in procedendo et decernendo non sustineantur;

B. *De destinatione bonorum:*

9. Praemisso quod Congregatio pro Clericis in re decretum Exc.mi Archiepiscopi non confirmavit, sed, omnibus suppressae paroeciae bonis ad paroeciam *ad quam translatis*, donationem ab huius parocho factam;

10. Perspecto, quoad violationes legis ad rem adductas, quod:

- Cl.mus Recurrentis Patronus inepte cann. 1291ss. invocat, cum haudquaquam constet illa bona patrimonio stabili paroeciae S. Ritas assignata fuisse vel ex natura rei ad idem pertinere;

- Ipse Recurrentis, D.nus Clermont, nullo modo probavit se iura acquisita super illis bonis habere, v.g. ex actu fundationis vel contractus;

C. *De asserta reductione ecclesiae S. Joannae de Arce ad usum profanum non sordidum.*

11. Considerato quod non habetur in accusa sive ex parte Exc.mi, nunc Em.mi, Archiepiscopi sive ex parte Congregationis pro Clericis decisio de ecclesiae clausura definitiva deque eius reductione ad usum profanum, et salvo iure fidelium, quorum interest, casu quo habebitur ad rem decisio, eandem ad normam iuris impugnandi;

12. Perpensis violationibus legis adductis:

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 1 februarii 2008 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito,

decrevit:

Recursum admittendum non esse et facto non admitti ad disceptationem coram Collegio Em.morum et Exc.morum H.S.T. Iudicium, utpote manifeste quolibet carentem fundamento.

Pro expensis retinetur cautio a Cl.mo Recurrente in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.



Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 1 februarii
2008.

Augustinus Card. Vallini
Augustinus Card. VALLINI, Praefectus

+ Velasius De Paolis
Velasius DE PAOLIS, C.S., Secre



CONCORDAT CUM ORIGINALI

die 9 februarii 2008

P. Malecha

Paulus MALECHA
Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis
Moderator Cancelariae